3 1761 06633745 2

BRIEF
PN
0061828

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/oratioquaminfune00noro

ORATIO.

brief
PN
0061828

ORATIO

QUAM IN FUNERE

SEMPER DESIDERATI LUSITANORUM REGIS,

PETRI QUINTI,

POST MATUTINAS PRECES

IN REGIO CONIMBRICENSIS ACADEMIAE SACELLO,

XV DIE DECEMBRIS ANNI 1861,

HABUIT

DOCTOR FRIDERICUS DE AZEVEDO FARO E NORONHA

JURIS FACULTATIS SECUNDUS PROFESSOR.

CONIMBRICAE

TYPIS ACADEMICIS.

M DCCC LXII.

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam *populo suo.*

Horat. I. Od. 20.

Não consentiu a morte tantos annos,
Que de Heroe tão ditoso se lograsse
Portugal, mas os coros soberanos
Do Ceu supremo quiz que povoasse:
Mas para a defensão dos Lusitanos,
Deixou quem o levou, quem governasse...

Camões, *Lus.* cant. IV, est. 50.

IN FUNERE FIDELISSIMI REGIS

PETRI QUINTI

ORATIO.

Regium hoc in templum, atris coloribus instructum, et luctuosis funalibus tantum illuminatum, apparatu solemni ac funebri, et ante Majestatis insignia, cenotaphio imposita, nigrisque velamentis abscondita, pungenti dolore cordibus oppressis, et vultibus pallidis, convenimus hodie, tristissimi Academici, ad Altissimum piis ac devotis suffragiis exorandum pro anima Hominis ac Regis, qui hominum ac regum optimus fuit.

Quum universa Lusitana gens moesto luctu crebrisque singultibus acerbos fletus effundit; quum Europae Principes omnes, laetis cunctis intermissis, lugubris doloris magna et publica testimonia praebent; quum Nationes liberae liberrimi ac philosophi Regis plangunt mortem; quum scientiarum litterarumque cultores prototypum ac protectorem munificum gratis animis lugent; quum pauperes et tristes invalidi lacrymosi beneficum memorant Virum, cujus e manibus panem ac sanitatem habuerunt; quum denique vastissimae urbis incolae innumeri, filiis ac parentibus oblitis, sub immani tempestate praecipites post feretrum currunt, quod sacra tantummodo exornant stemmata Nobilissimarum Societatum pro hominibus tum in periculis, tum in morbo salvandis; et illud prosequuntur ad extremum usque discessum Magnanimi Principis

Corpori datum, hic Princeps, hic optimus Vir, ab omnibus deploratus, alius esse non potest quam Petrus Quintus, Lusitanorum Rex desideratissimus.

Tanti Principis solus immaturus ac infelix interitus tantum moerorem efficere poterat. Omni ex parte audiuntur suarum virtutum unanimae laudes; et pro eo ad Coelum missa pia suffragia. Nosque hujus Universitatis constantiores filii, et scientiarum sancto sacerdotio maxime addicti, et insuper ab Inclyto Principe speciali favore ac protectione habiti, gratorum animorum officiis, cordumque fidelium religioni parere non videremur, nisi properi itidem essemus in ejus pro anima devotas preces elevando ad Deum, de suisque virtutibus edendo in terris altum ac solemne praeconium.

Postremum hoc mihi etiam contigit munus, cujuscumque viribus, et meis praecipue valde superius: sed officii necessitate, et vestra, jamdiu experta, indulgentia defensus, de desideratissimo Principe ante vos, Viri Academici, timide referam omnibus nota. Non sum Orator (scitis) neque eloquentia praeditus; sed altius, praeque omnibus loquitur veritas, cujus vox est potentissima apud magni viri tumulum.

Strenui Regis Militis, Petri Quarti, imperiorum duorum liberatoris, donatorisque duarum coronarum, Petrus Quintus Dignissimus Nepos, Eximiao ac fortis Reginae Mariae Secundae et Benignissimi Regis Ferdinandi Secundi Primogenitus Filius, Olysiponeque natus decimo sexto die Septembris anni millesimi octingentesimi trigesimi septimi, ex Matris Reginae, tam praematuro, quam infelici decessu, Augustorum Majorum ascendit solium eodem die, quo duodeviginti annos impleverat. Et populo universo fuit faustissimus dies, quo expectanda juventus, mira sapientia, probata virtus, ac inclytum nomen Lusitano in throno sedebant.

A sedula Matre providaque Regina accurata educatione, tam religiosa, quam morali et politica ab infantia accepta, in omnibus scientiis, litterisque a profundis Magistris institutus, perlongas utilesque peregrinationes cultioribus in gentibus hominum ac pu

blicarum rerum ingenti notitia et experientia parta; et praeterea politicis ipse et oeconomicis studiis prono pectore traditus, Egregius Princeps omnia in se habebat quae magnum constituunt Regem; et populi sub ejus imperio statim pro certo habuere eis futurum esse longum regnum justitiae, virtutis, prosperitatis, ac pacis; quod jam tunc, procul a civilibus discordiis, Rex Ferdinandus, Filii sui nomine Prudentissimus Regens, per duos fere annos summa dexteritate servaverat.

Quid autem genti cuique felicius contingere potest, quam Rex tuendae pacis studiosus? Quid pace dulcius, uberius, et populis optabilius? Quid ex contrario odiosius bello? Illa saluberrimos fructus suppeditat, nulla clade, nullo gemitu, nullisque lacrymis emptos. Bellum contra, omnia sacra impie contemnens, crudelitatis thronus, misericordiae sepulchrum, famis ac pestilentiae mater, tyrannidis ac latrocinii schola, terrorem tantummodo respirans, superque incensarum urbium ruinas, effectis stragibus gaudens, inter innumera cadavera crudeliter sedet.

Juvenis adhuc Rex, etiamsi avitae gloriae, nominis, et arduarum rerum avidus, periculorum despector, et insuper artis bellicae studiis magnopere deditus, bellum tamen maximum humanitatis flagellum merito existimabat: et idcirco non exteras modo procellas, sed domesticas etiam contentiones prudenti potius sceptro, quam ferreo, componere studuit: et internis factionibus longe sublimior, earum seditiosis ambitionibus justos limites silentiumque imposuit.

Nihil vere sanctius, nihil Rege praestantius in Monarchico, sed libero, imperio. Omnibus potestatibus ipse prominens, eas tantummodo temperat: et hominum sceleratorum a quacumque punitione alieno, ipsi, tanquam Deo, bene tantum facere competit: et hoc modo subditi libentissime regiam manum osculantur benignam, nunquam cruentam.

Cruentam!!! Nunquam Regis Petri Quinti immaculata dextera sententiam subscripsit sanguinis: immo Regii Diadematis gem-

marum omnium pretiosissimam habuit legalem facultatem miseris reis parcendi, minuendive poenas severiores, a judicibus impositas.

Supremae Legis Status, sicuti omnium publicarum legum observantissimus custos, Rex, integer, nec ideam saltim earum violandarum unquam sibi, aut cuiquam permisit: nullaque convenientia, nullum discrimen aut politica ratio justum ejus ac fidum animum flectere potuissent, ut tanta sineretur improbitas. Officium et jusjurandum in eo semper prae omnibus stabant: et fas, aut nefas non ex utilitate, sed tantum ex justitia appendebatur ab ipso. Nationis tanquam Magistratus supremus, omnia ad publica negotia primam diligentemque referebat curam; cuncta populorum commodum attinentia perpendebat ac meditabatur attente: et saepe superiori luce instruebat consiliarios administrosque eos, quibus reipublicae regimen sub ejus auspiciis ac nomine traditum erat: in eorum tamen gesta auctoritatem aut influxum suum nunquam immisit: regnans, non regens, mediusque inter politicas potestates, similis soli orbis in medio stanti, impatiens ab omnibus, radios suos vivificos, non urentes, ad omnia spargebat.

Nunquam Rex alius regium officium (utpote ab ipso appellabatur) in libero, quale nostrum, imperio rectius comprehendit; neque in eo obeundo ullus illustrius exemplum regibus omnibus dedit. Populi jura sibi erant sacra; et ideo nullum etiam sceptrum majorem unquam amorem, observantiam et adorationem quoque, tam a suis, quam a gentibus exteris habuit.

Nec aliud certe expectandum erat a Rege, qui mente excultissima praeditus, verus philosophus erat. Hoc nomen, quod Reges quondam terruit, et sapientes quamplurimos in deserta exilia, et foeda ferarum antra conjecit, nunc divinum est his, qui cultiorem humanitatem reddere student. Philosophia quidem ars est homines illustrandi, ut feliciores evadant; est universalis regum ac populorum moralitas, in aeterno naturae ordine fundata. Eam intimo corde dilectam Juvenis Rex ante omnia legibus ac humanis moribus applicandam merito sentiebat; et pari animo sociales scien-

tias, quae potissimum ad homines perficiendos tendunt, ipse excoluit: et pretiosa atque vasta de his reliquit scripta, quae, etiamsi tam in juvenili aetate composita, in lucem merito prodita, sapientibus admirationem, et studiosis novum et magnum afferent scientiae thesaurum.

Hoc sancto scientiarum amore inflammatum cum altioris Philosophiae scholam propriis expensis creantem vidimus; et itidem primariae disciplinae instituta, quae, utpote populis utiliora, etiam ab ipso speciali favore et protectione gaudebant. Magni semper scientiarum ac litterarum omnium studiosos habens, eos quasi fratres excipiebat; quamplurimos laboraliter alendo, omnesque tum auro, tum monitis juvando. Et vos etiam, Viri Academici, in aeterna recordatione servabitis memorabilem illam diem qua Juvenis Rex nostro in spectabili gymnasio omni solemnitate apparatuque regio, tam majestate splendens, quam benevolus et gaudens, hujus Universitatis insignioribus alumnis litterarias coronas affabiliter contulit: et fratris amplexum in omnes Academicos, tamquam suos in studiis sodales, transmisit.

Aliis tamen in locis longe etiam sublimior ac praestantior Rex ostenditur: et ea sunt nosocomia aegrotis ac moribundis repleta. Duo ferales morbi, cholera luteaque febris capitalem urbem invaserant; et posterior praesertim horribilem stragem terroremque ubique effundebat. Universae familiae in angustiis: profugi alii; mortali ac saevo morbo alii oppressi: omnes pallidi ac miserrime paventes: tanta in clade Rex solus providus et impavidus adstat; suoque generoso exemplo fortitudinis, caritatis et praestiti officii, praeclaram ac diuturnam lectionem Magistratibus et civibus praebet.

Miseros inter aegrotos, stratis in cubilibus jacentes, contagiosa ac maligna febri crudeliter affectos, pestilentem halitum exspirantes, et plorabundos in Coelum gemitus mittentes, Rex mortiferum contagium minime timens, explorat omnia quae ad salutem confluant: sciscitatur, adhortatur, et consolatur moerentes; animos per-

territis addit; et indigentibus auxilium cunctaque necessaria suppeditat. Atque ex Regis grato conspectu, quasi insolita vi medicamentis addita, illius potius praesentiae, quam Medicinae virtutibus saepe videbatur attribuendum quorumdam aegrotorum levamen; quibus eo ipso minuebatur dolor, quum eum Regi quoque esse acerbum sentirent.

In calamitatibus non solum Lusitanus Populus Regem suum protectorem ac fidum habuit comitem; sed in festis etiam publicisque spectaculis, et in omnibus quae ad ipsius incrementum ac prosperitatem spectabant illum semper apud se laetum benevolumque vidit. Invicta Urbs, libertatis nostrae inexpugnabilis arx, Cordisque Magnanimi Liberatoris nostri fidelissima Custos, artiumque omnium cultrix laboriosa, semel iterumque Regis sui Petri Nepotem, vel potius Regem alterum Petrum insolita exultatione et plausu muros intra suos, quales veteris Romae sanctos, excepit: ut in agricolarium fabrilisque industriae productorum magna expositione ipse intelligens spectator justusque aestimator esset: quod tam gratum bonis iis civibus fuit, ut in perpetuum venerationis monumentum, illi, tamquam Numini, aedificandum expositionis crystallinum palatium, ac erigenda marmorea statua, ab eisdem devotis dicarentur.

Curiositas quoque regni visitandi provincias Regis animum non effugere poterat. Regiis in urbibus luxus immodicus, jactantia, vanaque opulentia potissimum imperant, quae commentitiam magnitudinem et opes solummodo exprimunt. In provinciis e contrario Nationis verus apparet status. Ex his gentium vires appenduntur: namque gentium vires non aureis in tectis maximarum urbium, sed provinciarum vicorumque humilioribus tectis habitant. Ex his ad bellum, ad commercium, ad artes deducuntur brachia, quae Nationem sustinent, defendunt et divitem atque opulentam reddunt. In agrorum etiam silentio indigentiae atque infelicitatis gemitus, et itidem justitiae clamores liquidius exaudiuntur; et ibidem clariori luce publicae necessitates apparent; quibus proficua suggeruntur remedia a provido Rege quaerenda.

Haec audivit omnia omniaque vidit in provinciis Juvenis noster deploratusque Rex; qui absque solemni comitatu, tamquam privatus inter vulgum medius, arces, instituta, litterarias scholas, bibliothecas, Musea, ac viridaria publica, prima artium vetera ac pretiosa monumenta, fabricas, hospitia, proseuchas, orphanotrophia, carceres, basilicas, et omnia utilia visitavit et perlustravit attente; magnis non tantum in urbibus, sed etiam exiguis in pagis. Et beneficis studiis tantummodo intentus, cupientissimas populares acclamationes, quibus ubique excipiebatur, frustra modestus Rex ėffugere tentabat.

Civilibus tantis virtutibus domesticae quoque gradu in summo adjungebantur, quae Regis optimi pectore in probo praestantiores fulgebant. Pietas filii in Parentes, purissimus in Conjugem amor, in teneros Fratres et caras Sorores amicitia fida, in Magistros senesque Institutores reverentia, in optime de patria merentes obsequium, in egenos liberalitas, commiseratio in infelices, in omnes gratia et affabilis comitas; et in primis intima firmaque Religio, morum integritas, austera disciplina, miranda castitas, raraque modestia Regiam ejus domum augustum virtutum omnium templum effecerant; et templum itidem domesticae beatitudinis.

Attamen erat ab alto decretum, ut in ejusmodi sacro asylo valde affectuosum Principis cor profundiora crebraque acciperet vulnera, quae brevis vitae quamplurimos dies longe moestos et acerbos fecere. In eo amisit primum Eximius Princeps, clarissimis virtutibus praeditam, ac adoratam, Matrem, praecoci et infausta morte tenerrimis Filiis ereptam; cujus consummata experientia, prudentibusque consiliis in tam viridi aetate ille maxime indigebat. Amisit Carissimam Conjugem, Reginam Stephaniam, angelum bonitatis, omnium virtutum ac pulchritudinum coelestem thesaurum, cui primum et unicum amorem integrumque puro animo ipse dediderat; et quae eidem incognitam vitam apperuerat dulcedine ac beatitudine plenam, quam, converso thalamo in tumulum, heu! annus tantum vidit nasci ac mori!!... Amisit insuper

dilectas Innocentes Sorores, in longinqua abeuntes, quae quasi Divae a Fratribus colebantur. Amisit tandem tenerum Fratrem, cujus propera et inexpectata mors fraternum cor lethali moestitia ac dolore transfixit.

Cum duobus junioribus Fratribus ex Transtagana provincia Rex nuper ipse redierat; et sive ex regionis illius insalubritate, sive ardenti ex calore, sive paludosis vaporibus tres omnes Fratres forsan jam infecti, in gravem inciderunt morbum; quo paucis diebus jucundus Infans Ferdinandus infeliciter occubuit; et, ex fraterni hujus interitus tristissimo ac inopinato conspectu, Regis etiam morbus fuit iterum et praeter modum exauctus; tantaque vi, ut brevissimo tempore Regis vita maximo in discrimine esset; quod ipse praevidens, firmo sollicitoque animo Religionis petit Sacramenta ultima, quae ei pio ministrata fuerunt.

Ubi de Regis instanti periculo funesta vox per Urbem urbesque propagatur, tanquam si multae simul audirentur clades, palluerunt omnes; pars ad Regium palatium concurrunt, ut de Regis valetudine audirent: pars confugiunt in templa, ad obsecrationes pro eo ad Coelum mittendas. Ibi ordines omnes omnisque aetas permixta, nunc tristissimis vocibus, nunc silentio, suspiriis tantum et singultibus interrupto, ab Omnipotente exposcunt salutem Regis. E templis trepidatio per vias foraque grassatur; ad minimum strepitum, sese circumagentibus omnibus, quasi si unusquisque de vita aut nece sua expectaret sententiam, omnes erant horrore perfusi et anxii.... Sed vanae spes ac inefficaces preces!!! Ex turribus lugubris aeris sonitus auditur; qui tremendus nuntiat populis suum obiisse Regem.

Non aliter ac si omnium de pernicie ageretur, universalis fletus erumpit: doloris moerorisque magnitudo animos omnium vultusque pervadit: et hoc in angusto temporis momento allucinatae consternataeque mentes imaginantur sentire patriae libertatem, gloriam, ac etiam salutem una cum Rege esse sepultas undecimo fatali die Novembris.

Mensis infestus Lusitanis rebus!! In eo terraemotus horribilis, unus et alter, a fundamentis urbes nostras diruit; in earumque ruinis sepelivit hominum multa millia. In eo Regia Familia Lusitana exteris machinationibus in novas remotasque plagas extorris, orbam reliquit patriam, magnis hostium exercitibus invasam, et damnis quamplurimis expositam. In eo Magni Petri Filia, Augusta Regina Maria Secunda, primumque nostrae libertatis pignus, e vita decessit: aeternum miseris nobis desiderium relinquens. In eo tandem, proh dolor, ejus Filium Petrum Quintum, Virum Regemque Optimum semperque lugendum, amisimus!

Fulguris velocitate funestum nuntium Europaeas Nationes percurrit; et earum Principes ac populi, sincero dolore affecti, Magnum plorant Regem. Ejus eminens intelligentia, certissima probitas, benignitas, sapientia, et verus libertatis amor, satis et ubique cognita, maximo in honore et admiratione erant omnibus habita. Et quum humano generi vir tantis virtutibus superisque dotibus instructus a morte rapitur, calamitas est haec universalis populis omnibus sentienda ac diutine deploranda.

Enimvero nulla memoria tantae moestitiae tantarumque lacrymarum est in alicujus Regis decessu; nec unquam aliud fuit visum funus tanta aegritudine ac devotione peractum. Quum in profunda consternatione Urbs vastissima immersa esset, hominum multitudo innumera, capitibus nudatis, religioso silentio et flebili vultu, pedibus sequitur funerarium currum ad templum usque amplissimum, ubi religiose servantur ex Brigantina Stirpe nostrorum Regum veneranda sepulchra; et ibi juxta illa Immortalis Avi, Dulcissimae Matris, et Uxoris Carissimae, feretrum Regis Amici, et a populo semper amati, est reverenter ac tristissime depositum; et prae caritatis humanae sanctis insignibus, in aeterni desiderii symbolum, moestis amaranti coronis ab opificum diversis ordinibus exornatum manet.

Ergo illic jacet incomparabilis Rex, a Regibus observatus; a populis dilectus; patriae suae pater, tam in amore, quam in vir-

tutibus primus; scientiarum sollicitus fautor; certum indigentiae refugium; fidei ac justitiae perfectum exemplar; et qui non aliud volvebat in animo, quam felicem reddere Nationem suam.

Et re vera felix fuit populus, qui sub tanto vixit Rege: et Rex ipse, si domesticis in rebus quamplurima et magna infortunia sustinuit, eam saltim raram felicitatem habuit, ut absque inimico, et ab omnibus aeque dilectus ac deploratus, descenderet in sepulchrum.

In sepulchrum descenderunt ejus mortales tantum exuviae; namque virtutum omnium in speculum, ejus fama sempiterna in memoria hominum vivet: et candida puraque anima, ad Deum, unde descenderat, subiit; cujus in conspectu una cum spectalissimae virtutis Matre et Conjuge, ad se eam vocantibus, aeterna potitur beatitudinis corona, singularibus suis virtutibus parta. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum* (*a*).

Coeleste hoc praemium validis ejus meritis futurum spes nostra ac desiderium expectant; et pia suffragia, quae pro eo tot popolorum ex templis, urbibus, oppidis, pagis et agris ad Altissimum exsurgunt, ab ejus Misericordia obtinebunt, ut, siquid erroris humani fuerat, condonetur ei, qui hac in terrestri habitatione, morum ex puritate austeraque disciplina, gentes ubique dixere Justum.

Tuque horum in conventu, Magni Regis sublimis anima, humanitatis amore semper incensa, Divinum ante Thronum, ab Angelis ambitum, fidenter ora pro populorum omnium liberatione: ora pro fideli hac Natione, cujus tam amans, quam amatus fuisti: ora pro Inconsolabili Patre ac Regia Familia tua: et specialiter ora pro Optimo Fratre ac Successore tuo, nobisque eximiae spei Legitimo Rege, Ludovico Primo, jam Universitatis hujus Protectore Benevolo; qui eodem sanguine, et eadem instructione, disciplina, virtutibus, scientiisque institutus, tuaque clarissima exempla sequendo, quietis, justitiae ac prosperitatis Regnum Lusitanis dabit.

DIXI.

(*a*) Lib. Sapient. Cap. V, v. 16.

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 09 11 19 01 004 3